



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Art. 5. Vtrum corpus Christi sit in hoc sacramento, sicut in loco.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

quantitatem; sed ad solam substantiam Corporis Christi: ergo quantitas, & alia accidentia, non sunt hic ex vi verborum: ergo per concomitantiam. Confirmatur, Quia veritas verborum non postulat, nisi vt hic sit substantia Corporis Christi, constans ossibus, nervis, carne, &c. Atqui substantia corporis humani non includit in suo conceptu accidentia; sed formas substantiales quibus vnumquodque organum constituitur: quamvis, vt conuenienter naturæ suæ existat, accidentia requirantur.

Dixi, si quantitas est res distincta à substantiâ: nã, si non distinguitur, est hic ex vi verborum; sicut & ipsa corporis substantia.

23  
Accidentia  
corporis  
absoluta  
à loco.

Dico Secundo, Omnia etiam accidentia corporea, quæ Corpori Christi per se conueniunt sine ordine ad locum, sunt etiam in Eucharistiâ; & quidem concomitanter. Ita D. Thomas hic & communis sententia Doctorum. Et colligitur ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 3. Ratio est; quia hæc omnia sunt extra substantiam Corporis Christi: ergo non sunt hic ex vi verborum. Necessariâ tamen connexionem habent cum illo corpore, ita vt corpus sine illis non sit perfectum, nec tamen à loco dependet: ergo debent ibi esse concomitanter. Itaque hic est claritas illius corporis, & imcompatibilitas, & subtilitas, & agilitas; & aliæ qualitates naturales & supernaturales. Figura tamen fitualis, & extensio non est hic, quia pendet ex commensuratione ad locum.

Notes glo-  
siosa.

24  
Accidentia  
Animæ  
Christi  
perpetua.

Dico Tertio, Omnes quoque Animæ qualitates naturales & supernaturales, omnesque eius perpetuæ functiones sunt in Eucharistiâ, & quidẽ concomitanter; v. g. lumen gloriæ, visio beatifica, charitas, & cetera illius Animæ beatissimæ dona. Ratio est; quia hæc omnia necessariam habent connexionem cum illa anima; & anima cum corpore: ergo & illa cum corpore habent necessariâ connexionem.

25  
Accidentia  
facile  
mobilia;

In triduo  
mortis.

De Accidentibus autem corporis, vel animæ quæ facile mutantur; vt sunt cogitationes volubiles, & volitiones, operationesque sensuum, probabile est, non esse in Eucharistiâ: quia nullâ stabilem connexionem habent cum anima vel corpore, neque sunt necessaria ad eius perfectionem. Confirmatur; Quia alioqui fatendum erit assidue in Eucharistiâ fieri eas mutationes, quæ fiunt in corpore, vel anima Christi extra Sacramentum in celo; quod non est credibile. Probabile tamen valde est, si quis Apostolorum in triduo mortis confecisset Eucharistiâ, eamque seruasset vsque ad resurrectionem, Corpus Christi sub speciebus recepturum fuisse animam, & reliquas perfectiones naturales, & supernaturales, quas extra accipiebat. Ratio est, quia non conueniebat vt corpus illud in Eucharistiâ maneret mortuum, & imperfectum, quando in statu naturali viuens & perfectum erat.

D V B I V M I I.

Quomodo intelligendum sit, quod ait D. Thomas Quantitatem Corporis Christi existere sub singulis partibus hostiæ, eò quod sit ibi concomitanter?

16 R Espondeo, Omnia explicatio Caietani, quæ bene refutatur à Scoto dist. 10. q. 1.

Sensum D. Thomæ esse, quantitatem ibi esse, non propter seipsam; sed propter substantiam Corporis Christi, quam afficit: vnde oportere, vt accommodetur ipsi corpori, & talẽ modum existendi habeat, qualem habet corpus: quare, cum substantia corporis existat indiuisibiliter, oportere vt etiam quantitas similiter existat.

Quantitas  
est in Eu-  
char. pro-  
pter sub-  
stantiam  
corporis,

ARTICVLVS V.

Utrum Corpus Christi sit in hoc Sacramento, sicut in loco?

R Espondeatur Negatiuè. Ratio est, Quia Corpus Christi est sub speciebus, sicut substantia sub accidentibus, excepta informatione: atqui substantia non est sub accidentibus, tanquam in loco. Vide D. Thomam.

27

D V B I V M I.

An saltem respectu spatij sit velut in loco? Spatium enim manet immobile dum transfertur Corpus Christi, sicut locus manet immobilis dum transfertur locatum.

R Espondeo; Corpus Christi verè & propriè est in hoc spatio, in quo sunt species, eo modo, quo res spirituales sunt in loco; sicut Angelus est in spatio corporis assumpti, & anima rationalis in spatio corporis humani. Colligitur ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 1.

Responso  
est afir-  
mans.

Probatur; Quia vt aliquid dicatur esse propriè hic, vel ibi, non est necesse, vt loco coextendatur per partes, sicut corpora; sed potest esse totum in singulis loci partibus, & punctis; qui modus existendi hęc, vel ibi, est perfectior, quam corporum; quia totam rem colligit in omnia puncta spatij. Et hoc modo Christi Corpus in Sacramento existens est in loco, adeo vt speciebus detractis possit diuinitus conseruari in eadem designatione vbi erat antè, non minus, quam Angelus, quando corpus assumptum euauit, potest permanere in eodem loco.

D V B I V M I I.

Utrum sit hic Circumscriptiuè, an Definitiuè?

R Espondeo, Propriè neutro modo; vt docet D. Thomas: sed nouo modo, qui est sine exemplo. Non Circumscriptiuè: quia per partes non coextenditur spatio, nec superficies ambiens ei configuratur. Non etiam Definitiuè: quia non ita est hic, quin ex vi huius modi existendi possit simul esse alibi naturaliter sine nouo miraculo; vt patet diuisa hostiâ, & in diuersa translata. Id autem, quod Definitiuè dicitur esse alicubi, ita debet ibi esse, vt naturaliter repugnet ei esse alibi, ex vi illius modi existendi.

29  
Christus  
hic est in  
loco nouo  
modo, qui  
est sine ex-  
emplo.

ARTICVLVS VI.

Utrum Christi Corpus sit mobilitèr in hoc Sacramento?

R Espondeo, & Dico Primo, Corpus Christi in hoc Sacramento verè & propriè transfertur; ac

30  
Christus  
ad motum  
specierum  
mouetur,